



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

1. Rationi congruit &c. Instituit Academiam Duacenam in Gallo-Flandria,  
ad Normam Lovaniensis in Brabantia, petente Philippo II. Hispaniarum  
Rege: anno 1559.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

quod præsentium litterarum transfumptis, manu Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus Curie Ecclesiasticae, seu personae in dignitate Ecclesiastica constitutae firmatis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quae eisdem adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 19. Julii, Pontificatus nostri, anno quinto.

Franciscus Aragonia.

*Die 22. Julii 1559. retroscripta Littera Apostolica in forma Brevis affixa, & publicata fuerunt in vasis Apostolorum de Urbe, Cancellaria Apostolica, ac acie Campi Flore, dimissis copiis affixis per me Medardum S. D. N. Papa Curso-rem.*

Nicolaus de Matthæis,  
Magister Curforum.

PIUS QUARTUS.  
PONTIFEX CCXXXVIII.  
ANNO MDLX.

**P** IUS Mediolanensis, nomine Joannes Angelus Medicis anno 1559. initio clementem, sed non Caraffis se exhibuit, Cardinali Caraffa in Mole Hadriani Carnificis manu strangulato, & Fratre ejus Palliani Principe capite plexo in carcere. Concilium Tridenti, Protestantes Germania Principes ad illud per Litteras & Legatos invitando, restauravit. Obiit anno 1565. (*Magni Bullarii Romani Tom. II. hujus Editionis Luxemb. fol. 1.*)

Instituit Academiam Duacenam in Gallo-Flandria, ad Normam Lovaniensis in Brabantia, petente Philippo II. Hispaniarum Rege: anno 1559.

PIUS EPISCOPUS.

*Seruus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

**R** Ationi congruit, & convenit honestati, ut ea, quae de Romani Pontificis gratia processerunt, licet superveniente obitu Litterarum Apostolicarum desuper confectarum non fuerint, suum fortiantur effectum.

Dudum siquidem felicitis recordationis Paulo Papa I V. Praedecessori nostro, pro parte carissimi in Christo Filii nostri, tunc sui, Philippi Hispaniarum Regis Catholici exposito, quod cum Regio inferioris Germaniae, ipsius Philippi Regis ditioni hereditario jure subjecta, omni ferè ex parte à Populis Hæreticis, atque Schismaticis cineta, & obfessa esset, & præter assiduas eorum insidias, pestiferasque doctrinas, Catholica illic fides, & animarum salus maximo in discrimine versaretur, tam graviter periclitanti in illis partibus Fidei orthodoxae, & animarum salutis aptissimum esse remedium duxerat, si in dicta Regione, quae à tot, tantisque Populis, & gentibus incolebatur, præter illam celeberrimam, ac famosam Universitatem Studii Generalis Lovaniensem, alia quoque similis Universitas Studii generalis erigeretur.

Cui sic erigendae Universitati Oppidum Duacense Atrebatensis Diocesis, tam salubritate aeris, quam fecunditate terrae, & rerum omnium humano victui necessariarum copiâ maxime idoneum, & opportunum esse arbitrabatur: & propterea cupiebat ad Omnipotentis Dei Laudem, & Gloriam, ac militantis Ecclesies exaltationem, nec non litterarum præcipue Sacrarum studii incre-

mentum, Universitatem Studii Generalis in dicto Oppido erigi, & instrui.

Quare pro parte dicti Philippi Regis, eidem Praedecessori nostro humiliter supplicato, ut in eodem Oppido Universitatem Studii Generalis erigere, & instituere, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaretur: Praefatus Praedecessor, qui in Apostolicae dignitatis culmine, meritis licet imparibus, tunc constitutus, sedula meditatione pensabat, ut per litterarum studia, cooperante omnium munerum Largitore, Christi Fideles virtutibus ornarentur, iustitia coleretur, fides in primis Catholica, & divinus Cultus non modo conservaretur, verum etiam nostris potissimè temporibus aufereretur, atque propagaretur, ad idque præsertim, dum Catholicorum vota Principum id exposcebant, suae considerationis aciem libenter convertebat, aliasque desuper disponebat, pro ut in Domino pro studiorum ipsius directione, & successu felici conspiceret salubriter expedire; attendens ex litterarum præsertim divinarum studio salutem animarum consuli, & alia spiritualia, & temporalia dona universo terrarum orbi provenire.

Hujusmodi supplicationibus inclinatus, sub data videlicet pridie Kalendas Augusti, Pontificatus sui anno quinto, in ipso Oppido Universitatem Studii Generalis in artibus, naturali, ac morali Philosophia, ac Medicina, nec non Theologia, & Jure Canonico, & Civili, ac quibusvis aliis licitis Facultatibus, & Scientiis, ad instar Lovaniensis prædictae, ac Parisiensis, Bononiensis, & Paduanensis, ac aliarum Studiorum Generalium Universitatum, Auctoritate Apostolica erexit, & instituit, ac illi sic erectae, & institutae, illiusque pro tempore existentibus Rectori, Magistris, Doctoribus, Lectoribus, Scholaribus, Studentibus, Bidellis, & aliis Officialibus, & personis, quod omnibus, & singulis Privilegiis, libertatibus, & immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, prærogativis, honoribus, & præminentibus, Lovaniensi, ac aliis Studiorum Generalium Universitatibus hujusmodi, illarumque pro tempore existentibus Rectoribus, Magistris, Doctoribus, Lectoribus, Scholaribus, Studentibus, Bidellis, & aliis Officialibus, ac personis in genere, vel in specie, tam dictâ Apostolicâ, quam Regiâ Auctoritatibus, seu alias quomodolibet concessis, aut legitime præscriptis, & ex nunc impostero concedendis, & præscribendis, ac quibus ille, & illi utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere potuerunt, quomodolibet in futurum uti, potiri, & gaudere.

Nec non iis, qui in dicta sic erecta Universitate, seu alibi per tempus debitum studuisse, ac scientiâ, & moribus idonei esse comperti forent, quod in Artibus, & Philosophia, & Medicina, ac Theologia, nec non Jure Canonico, & Civili, ac aliis Facultatibus, & Scientiis prædictis, Baccalaureatus etiam formalis, & Licentiatûræ, ac Doctoratus Magisterii, à pro tempore existente ipsius Universitatis Duacensis Rectore, seu alias, juxta ejusdem Universitatis desuper edendas Constitutiones recipere, & ipsorum graduum solita insignia sibi exhiberi facere, ac postquam gradus hujusmodi recepissent, ac illorum insignia sibi exhibita fuissent, ut præfertur, Facultates, in quibus promoti essent, legere, & interpretari, ac in iis disputare, nec non quoscumque actus gradui, seu gradibus per eos receptis convenientes exercere, aliasque omnibus, & singulis Privilegiis, favoribus, gratiis, prærogativis, & indultis, quibus cæteri, in Lovaniensi, & aliis Universitatibus prædictis, juxta illarum Constitutiones, & mores ad gradus prædictos promoti de jure, vel consuetudine, seu alias utebantur, potiebantur, gaudebant, acuti, potiri, & gaudere in omnibus, atque omnia, perinde ac si gradus ipsos in Lovaniensi, aut

I.  
Ex Op.  
Dipl. Mi-  
rzi Tom.  
I. p. 238.

aliis Universitatibus Studiorum hujusmodi, juxta Constitutiones, & mores prædictas suscepissent.

Necnon Rectori, & Doctoribus, & Scholaribus Universitatis Duacensis hujusmodi pro tempore existentibus, quod pro salubri ipsius Universitatis directione & conservatione, ac illius Rectoris, Magistrorum, Doctorum, Lectorum, Bidelorum, ac aliorum Officialium electione, nominatione & provisione, & Scholariorum eorundem manutentione, quæcunque statuta & ordinationes licita, & honesta, & Sacris Canonibus non contraria facere, & edere liberè & licitè valerent, eadem Auctoritate Apostolica concessit pariter, & indultit.

Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, Privilegiis quoque & Indultis, & Litteris Apostolicis quibusvis, sub quibuscunque tenoribus ac formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis &c. iteratis vicibus concessis, probatis & innovatis.

Quibus omnibus dictus Prædecessor, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, vel alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis tradita observata, infert forent, pro sufficienter expressis habens, illis aliis in suo robore permanens, eâ vice duntaxat specialiter & expressè derogavit, cæterisque contrariis quibuscunque.

Ne autem de erectione, institutione, concessione, indulto & derogatione Prædecessoris hujusmodi, quod ejus superveniente obitu Litteræ Apostolicæ desuper confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari, dictusque Philippus Rex illorum frustreretur effectu, volumus & decrevimus, quod erectio, institutio, concessio, indultum, derogatio hujusmodi perinde à dicta die pridie Kalendas Augusti suum fortiantur effectum, ac si super illis ipsius Prædecessoris Litteræ, sub ejusdem diei data, confectæ fuissent, prout superius enarratum. Quodque præsentis Litteræ ad probandum plenè erectionem, institutionem, concessionem, indultum, & derogationem prædictam ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Nulli ergo hominum liceat, hanc paginam nostræ voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, octavâ Idus Januarii. Pontificatus nostri anno primo.

II.  
Ex Oper.  
Diplom.  
Miræi T.I.  
p. 797.

Erigit Episcopatum Harlemensem in Hollandia, Archiepiscopatus Ultrajectensis primum Suffraganeum, anno 1560. eique pro dote assignat Abbatiam Egmontanam, Ordinis Sancti Benedicti, Cathedram Episcopalem in Ecclesia S. Bavonis collocat, & ad fundandas Canonicorum Præbendas, partim transfert Capitulum Geervlitani, partim supprimit Monasterium Heyloënsis Canonicorum Regularium.

### PIUS EPISCOPUS.

*Serens Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

**E**X injuncto nobis desuper Apostolicæ Servitutis Officio ad ea libenter intendimus, per quæ Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Cathedralium

noviter erectarum decori & venustati, ac illis præfidentium, & in eis Divinis Laudibus insistentium personarum statui, & opportuna subventioni, cum Divini Cultus augmento, & animarum Christi fidelium salute valeat salubriter provideri, ac desuper etiam ea, quæ à Prædecessoribus nostris consultè gesta fuerunt, ex saniori consilio immutando disponimus, prout locorum & temporum qualitas exigit, ac ipsarum Ecclesiarum utilitas persuadet, & id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Cum itaque, sicut accepimus, aliis postquam felicis recordationis Paulus Papa Quartus, Prædecessor noster, providè considerans, eam partem inferioris Germaniæ, quæ charissimo in Christo Filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico hæreditario jure etiam tum subiecta erat, paucos habere Episcopos, nullumque Metropolitanum, qui eam regerent, uti illius amplitudo, & frequentissimorum Oppidorum celebritas, & longè, latèque distitorum Castrorum, & pagorum suorum copia, animarumque multitudo, varium item idioma, & vitæ institutum, ac denique temporis deplorata ob hæreticos conditio expostulabat, hisque & aliis gravibus causis cum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis Fidei Catholice succurrere, pioque desiderio dicti Philippi Regis satisfacere, habitâ, sicuti magnitudo rei postulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione maturâ, de eorum consilio, & Apostolicæ Potestatis plenitudine, Cameracensem, Trajectensem, Atrebatensem & Tornacensem Ecclesias, Civitates & Dioceses, ac Remensem & Coloniensem Provincias, ac Mechliniensem, Harlemensem, ac reliqua oppida prædicta sic divisa in Civitates.

Cameracensem verò & Trajectensem, tunc Episcopales Sedes, ac olim Collegiatam S. Rumoldi Mechliniensem, & Metropolitanam, ac Parochialem S. Bavonis Harlemensem, cæterasque alias aliorum Oppidorum in Civitates erectorum prædictorum Ecclesias, in Cathedrales Ecclesias, pro totidem Archiepiscopis & Episcopis, qui suæ quisque Ecclesiæ præsentent.

Necnon Harlemensi, aliisque Ecclesiis & Civitatibus prædictis, certos tunc expressos districtus per Nuntium suum, postmodum ab eo illic mittendum, limitandos, pro sua cujusque Diocesi perpetuò concesserat; necnon Ecclesiæ Ultrajectensi prædictæ Ecclesiam, Civitatem & Diocesim Harlemensem hujusmodi inter alias pro sua Provincia adjunxerat; præfato quoque Philippo Regi, illiusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini essent, jus nominandi Romano Pontifici pro tempore existenti personas idoneas, ac alias certis tunc expressis modo, & forma qualificatas, ad Harlemensem, & alias Ecclesias erectas, tam à primaria erectione hujusmodi, quam ex tunc deinceps, quotiescumque illas vacare contingeret, per eundem Pontificem in Archiepiscopos & Episcopos, ad nominationem hujusmodi ordinandos, in perpetuum reservaverat, per quasdam sub plumbo, & denique per alias suas in forma Brevis Litteras, Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusiniensi suo, & Apostolicæ Sedis Nuntio in partibus illis, dederat in Mandatis, ut personas idoneas, quæ dictas Provincias & Dioceses distinguere & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis & Præposituris, sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi vice sua deputaret, Dilectus Filius Noster Antonius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, tunc Episcopus Atrebatensis, & quatuor alii scientia & probitate insignes, quos ipse Salvator Episcopus, & Nuntius, dicto Prædecessore interea de medio sublato, vigore seu prætextu Mandati, & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licet forsitan dictorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonicè subdelegari poterant, factâ ni-

hilominus